18)

et temporibus eius. Hic postea christianus effectus et baptizatus a sancto Bonifacio et a Karolo a sacro fonte levatus.+ Hic Widekindus habuit filium nomine Wicbertus qui fuit bonus christianus. Hic genuit filium nomine Waltbertum. Hic eciam a iuventute extiterat bonus christianus. Hic cum bona devocione visitavit limina sanctorum Petri et Pauli et eciam ut aliquas reliquias ad patriam suam transferret. Cui Leo papa, qui suis temporibus ecclesiam regebat, dedit ei corpus sancti Allexandri, filium sancte Felicitatis, quod secum transtulit in Saxoniam, collocans illud in Walhusen et secundum aliquos Wildershusen vel Wigalzingehusen. Ex eorum eciam progenie processit vir nobilis nomine Ludolfus. Hic eciam causa devocionis visitavit limina sanctorum Petri et Pauli, portans secum reliquias Innocencii pape. Hic habuit duos filios, scilicet Brunonem et Ottonem. Bruno fuit filius senior habens sub potestate sua VI provincias. Hic cum potencia exercitus ivit super Danos et interfectus est. Dicunt tamen aliqui, quod submersus fuerit. Et tandem post obitum suum ducatum regebat Otto frater suus, habuit eciam sororem nomine Luckardem, quam accepit in uxorem Lodewicus rex, filius Arnolfi imperatoris. Hic inmediate obiit. Postea vero Franci et Saxones volentes ad imperium eligere Ottonem predictum, quod ipse renuit propter senium eius; attamen facta imperii per longa tempora regebat. Cuius eciam consilio+ electus est Conradus dux Francorum. Hic Otto habuit filium nomine Hinricum. Hic post mortem patris

Genealogia ducum Saxonum. +f. 246c

limina

a) Luckardi

+f. ~~CCXLVI~~ 246d